

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3614

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** La Hoguette, Saint-André-en-Gouffern (abbaye)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1260, décembre

**Lieu d'émission :** Melun

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Louis [IX], roi de France, vidime la charte du chevalier Henri dit le Maréchal, fils de Jean dit le Maréchal, seigneur de Sai et d'Argentan, et confirme la donation faite par cette charte aux moines de Saint-André-en-Gouffern d'une rente annuelle de 12 livres tournois à percevoir dans la prévôté d'Argentan avec tout le droit sur cette prévôté.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 652, p. 131-132.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod nos litteras dilecti et fidelis nostri, Henrici, Francie marescalli, vidimus in hec verba :

Universis Xpisti fidelibus, ad quos presens carta pervenerit, Henricus dictus Marescallus, miles, dominus de Saeyo, filius Johannis dicti Marescalli Francie et domini de Argentonio, militis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod ego Henricus, dominus de Saeyo, dedi et concessi Deo et Beate Marie et monachis Sancti Andree de Gouffer, Deo ibidem servientibus, pro salute anime mee et Katerine uxoris mee et omnium amicorum et benefactorum meorum, in puram et liberam et omnino quietam elemosinam, duodecim libras turonensium, quas predictus Johannes, pater meus, dedit michi in prepositura de Argentonio capiendas et habendas predictis monachis singulis annis in dicta prepositura ad festum sancti Johannis Baptiste, cum omni jure et districtu quod habebam et habere poteram in dicta prepositura, ratione dictarum duodecim librarum turonensium, per manum meam vel heredum meorum, vel per manum illius qui dictam preposituram tenebit et habebit, absque contradictione vel reclamacione mei vel heredum meorum. Et poterunt abbas et conventus predicte domus vel eorum allocatus vel atornatus facere justiciam suam plenariam in dicta prepositura pro dictis denariis integre, bene et pacifice et libere recipiendis et habendis, sine impedimento vel disturbance mei vel heredum meorum, vel alicujus alterius loco nostri, quocienscumque voluerint, nisi fuerint ad dictum terminum persoluti. Quod si, per negligentiam et defectum mei vel heredum meorum vel prepositi predicte prepositure, contigerit monachos vel eorum nuncios, pro predictis denariis habendis, moras trahere vel expensas facere, nos tenebimus eisdem, pro suis costis et expensis, per singulos dies duos solidos turonensium reddere, quoadusque dicti denarii predictis monachis ex integro persolvantur. Et sciendum quod ego et heredes mei tenemur garentizare, defendere et deliberare predictis monachis supradictas duodecim libras turonensium in omnibus curiis, contra omnes gentes vel eciam, excambiare

in omni nostra hereditate, si necesse fuerit, ad valorem. Quod ut firmiter et fideliter teneatur im perpetuum, presentem cartam sigillo meo sigillavi. Actum anno Domini M° CC° sexagesimo, mense Decembri.

Nos autem, ad petitionem prenominati Henrici, donacionem et concessionem supradictas volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Meledunum anno Domini M° CC° sexagesimo, mense decembri.